

401

Vc
3135



II, 69

II, 69

II, 69.

Pia & subjectissima gratulatio &
Precatio pro fausta Gubernatione
SERENISSIMI ET POTENTISSI-
mi Principis & Domini, Dn.

CHRISTIANI II.
ELECTORIS SAXONIÆ: AR-
CHIMARSCHALLI SACR. ROM.
Imperij, & Burggravij Magdeburgensis:

E T

Illustrissimi Principis ac Domini;

Dn. IOHANNIS GEOR-
GII DVCIS SAXONIÆ, LAND-
gravij Duringiæ, March. Misniæ, & Postulati Admi-
nistratoris Episcopatus Martisburgensis,

Dominorum suorum clementissimorum:

Cum historica quadam de Laudatissimorum
& Pientissimorum Electorum Saxoniæ, quondam
Dn. AVGVSTI & Dn. MAVRITII: piè &
beatæ memoriæ &c. in communem patriam & Ecclesiæ
CHRISTI studijs & meritis, recitatione.

Conscripta à

BALTHASARE SARTORIO
SS. Th. D. & Academ. Lipsens. Profes.

••(?)••

Michaël Lantzenberger excudebat, An. 1605.





Serenissime & Potentissime Princeps ac Dn.
Dn. CHRISTIANE II. Elector Saxoniae & c. Burggraviae
Magdeburgensis, Dn. Clementissime, praclarissima est laus
Regum & Principum, quam Cyrillus Alexandrinus praedicat,
non tantum humanae Claritatis esse fastigium: sed & ob glo-
riosam in Deum pietatem honorum immobile fundamentum. Ac illud qui-
dem, quod quicquid est potentiae & virium inter homines superant: hoc
vero quod pietatis in Deum cultores, ea quae illi placent observant,
non tantum inimicos suos vincant, sed & adversariis suis praevalent.

Eius autem fastigij & stabilimenti exemplar & documentum insigne
statuit IO S I A M Regem, qui Magorum & Daemonum imposturas destru-
ens Regnum suum maxime memorabile fecit. Hoc autem cum ita se habeat,
quid prohibet, clementissime Dn. Elector, praeter ceteros pientissimos do-
mus Saxonicae Principes Electores, Dn. Mauricium & Dn. Augustum Se-
renissima celsit. V. Patrum magnum & Avum accensere, quibus ita pie-
tas cura & cordi fuit, ut ille non modo pietatis causa vitam profuderit:
Hic vero quicquid habuit potestatis & opum impenderit? Quos quidem cum
Serenissima V. celsitudo ardentissime amuletur, cum Illustrissimis Principi-
bus Ducibus Saxoniae Fratribus carissimis, nihil etiam magis nobis in votis
& precibus esse decet, quam ut celsit. V. Serenissima cum illis, quam diu-
tissime salva & incolumis florentissime vigeat, valeat, & quicquid illi ad-
versus est, vincat & praevaleat per Dominum & Salvatorem nostrum Iesum
Christum Amen.


Illustrissimae vestrae
celsitudinis

Subiectissimus servus

Balthasar Sartorius D.

A 2

Illustris-


Illustrissime Princeps ac Dn. Dn. IOHAN-
NES GEORGI, Dux Saxonie, Landgraviæ Duringiæ,
Marchio Misniæ & postulate Episcopatus Martisburgensis Ad-
ministratoꝝ &c. Domine clementissime. Regum & Principum pientissimo-
rum prædicat D. Cyrillus Alexandrinus capita veneranda, Gemmis Indicis
adornari, verum animæ & mentis Spiritualis ornatum, esse Fidem Rectam
& inadulteratam. Huius autem veritas, cum eius sit pietatis & effica-
ciæ, ut secundum Normam sacrae scripturae, non tantum benedicantur ex ea
Fideles cum Abrahamo Gal. 3. Sed & expugnentur Regna, Hebr. 11.
Dubium non est & omni Sapientia eam esse meliorem, quæ perhibente Salo-
mone Proverb. 8. Opibus preciosissimis est potior, nec ullum bonum habet
maius quod Homini contingere potest. Etsi autem multa & magna sunt
bona, quæ à Magistratu pio & bono, præstantur subditis miseris: Tamen
nulla sunt potiora & diviniora, quàm quæ sunt Fidei Rectæ & irrepre-
hensibilis, quæ illos cum Deo coniungunt & in æternum copulant. Hac
itaque cum ingenti Dei beneficio persfruamur in illustrissima Domo Sa-
xonica, æterno & misericordi Deo gratias agimus quàm humilimas, toto
pectore ardentè precantes, Illustrissimam vestram celsit: cum illa tota mul-
tum gaudere, quam diutissimè incolumem & salvam valere & semper
firmissime florere per Dominum & Salvatorem nostrum Iesum Christum,
cuius omnis laus & gloria cum Patre æterno & Spiritu Sancto est perpe-
tuo benedicta, Amen.

Illustrissimæ vestræ
celsitudinis

Subjectissimus servus

Balthasar Sartorius D.

IN NO-



IN NOMINE ÆTERNI
ET OMNIPOTENTIS DEI
PATRIS, FILII, ET SPIRITVS
SANCTI.



Ngens est Dei immensi beneficium, & eximium providentiæ & bonitatis divinæ testimonium, Imperia & gubernationes ad generis humani societatem jungendam & continendam, instituta esse, & adhuc conservari, ne illud sine lege, & ordine certo, pecudum & bestiarum instar, temere vagetur & oberret: Verùm longè majus est, præstantiusq; Dei sapientissimi & benignissimi bonum, ab illo, Hominum societati præfici, non tantum præclaræ originis & alti generis Heroas: Sed & generosæ Naturæ indole & bonitate ornatos ac inprimis excellenti virtute & pietate præstantes, atq; illustres. Ejusmodi enim Gubernatoribus, provida Dei omnipotentis cura, non tantum cætus & congregationes Hominum conglutinat & conservat, ut in pace & tranquillitate inter se vivere, suæque tutò possidere possint, sed inprimis æternam Ecclesiam mediante verbi divini ministerio collectam, per Magistratum pium consociat & devincit.

Nam etsi hoc fieri experimur, ut qui in mundo potentia, viribus & opibus, maximè pollent, & latissimè dominantur, non ita, et par est, pietatis amorem, cum ju-

O R A T I O P R I M A.

sticia & virtute colant, conjunctioniq; Hominum & Paci, ut decet, consulant & inserviant: Sed sæpe magis dissipationi populorum & vastationi gentium causam præbeant (Deus enim dicente Augustino, qui ex malo bonum elicere novit, mirando consilio sæpè concedit iratus, quod negat propicius, atq; ita ad insigne honoris fastigium evehit, ac summa inter Homines potentia instruit, non modò dignos, sed & indignos, ut videre est in Nerone & alijs monstris: Quos non tantum propter mundi ingratitude, impietatem & scelera detestanda, horrendis pœnis coercet, sed & ipsos in altum sublatis, lapsu graviori ruere, eosq; potentes, potenter tormenta pati facit, in hac quidem vita tragicis, & horrendis casibus, & in futura, sempiternis pœnis oppressos) Tamen propter gloriam Nominis sui & salutem Hominum, benignitas Dei immensa, omnibus temporibus in genere humano excitavit & dedit, atq; pro inexhausta sua bonitate etiam nunc in facibus mundi inter horribiles Diabolorum & Hominum furores dat, & excitat, Heroici & divini Spiritus Reges, & Principes, quibus cum gloria Nominis sui, salus hominum curæ, cordiq; est, & erit, donec præsens mundi Machina est duratura.

Nam cum ad finem ejus usq; , mors Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, perpetuò sit annuncianda juxta Apostoli verba, etiam Ecclesia Christi, usq; ad interitum illius erit mansura, quamvis in tristissima morum & dogmatum confusione, in persecutione sæva & miserabili Regnorum mundi ruina. Nam sine appropinquante, Gens contra Gentem est insurrectura & in magna à Fide & veritate, defectione, iniquitas incrementa

ta

ORATIO PRIMA.

ta sumptura. Sed tamen, cum propter Electos Dei, dies mundi sint decurtandi, procul dubio etiam in ipsius conflagratione Electi sunt futuri, qui non nisi in coetu & gremio Ecclesiae reperiri poterunt, quod, quos elegit Deus, hos vocavit, nec vocatio ista futura sit absq; ministerio verbi divini, quod ipsius Ecclesiae est proprium.

Vt igitur res plena consolationis est, etiam in extremis & deploratis mundi temporibus, Electos esse, & Ecclesiam usq; ad finem ejus, conservatum iri: ita verè inter præcipua Dei beneficia, hoc eximium est, dari & conferuari diuinitus Gubernatores pios, qui non tantum ipsi toto pectore incumbunt, ut Deum rectè cognoscere & religiosè sine superstitione colere possint: Sed & omnes suarum deliberationum & consiliorum actiones eò dirigunt, ut veritas doctrinae coelestis cum sincero Nominis divini cultu, inter subditos conservetur, Deo Ecclesia aeterna colligatur, & collecta subinde propagetur, quiq; in rebus humanis, non modò in hanc curam incumbunt, ut quicquid habent virium, potentiae & opum, sed & si res ita & necessitas postulet, ipsius Dei causa, vitam, qua nihil carius & preciosius est in terris, impendant.

Cum autem hoc divino beneficio, aeternus Deus pro immensa sua bonitate imprimis beare, & ornare voluerit illustrimam domum Saxoniam, & in ea ad mirificandam misericordiam suam, & ad salutem universo terrarum orbi magnificandam excitavit, non unum atq; alterum tantum, sed & plures, eosq; non in una, sed & utraq; linea, Principes magnanimos & fortes, qui singulari pietatis amore, studioq; flagrant, in ipsius Dei, Regis Regum, ac Domini Dominantium gloria, omnem
suam

O R A T I O P R I M A.

suam gloriam, atq; in Ecclesia ipsius Salute, etiam suam salutem sitam esse, sibi firmissimè persuasum habuerunt: grata mente non modò hoc tantum Beneficium Dei misericordis cognoscendum, & celebrandum est, verùm etiam ad omnem posteritatem summis Encomijs evehendum, & commendandum, ne tam eximia & laudabilia Dei supremi dona, & tantorum Heroum, in genus humanum studia, & merita, tam citò in posteritatis oblivionem veniant, quæ propter autorem Deum, æterna memoria & prædicatione videntur esse dignissima.

Quare quod pietas in Deum, Decus & virtus Heroum nostrorum postulat, & debitæ subjectionis & reverentiæ cultus efflagitat, ad extollendam magnificentiam gloriæ divinæ, & celebrandam laudem potentiæ & mirabilium ejus, in has nunc voces ora & pectora nostra cum gratiarum actione resolvemus.

Tibi æterno misericordi & omnipotenti Deo sit laus, & gloria, quàm maxima, qui pro paterna & perpetua in Ecclesiam Filij tui æterni, cura, & benignitate, non pateris agmini ejus imbelli & imbecilli, unquam deesse Principes pios, magnanimos & beneficos. Sed largiris, cum defensionis, incrementi, & propagationis causa, sedulò & fideliter invigilantes, tum incolumitati & saluti illius, quicquid habent potestatis, dignitatis, opum & virium, impendentes, quin etiam pietatis & religionis veræ amor, studioq; vitam propriam posthabentes. Hos ut agnoscimus, tua esse dona, valde illustra, gratiosa & gloriosa, ita celebrandi & summis laudibus evehendi causam justissimam, nobis præberi, & necessitatem magnam adferri, non possumus non fateri. Id-
que

ORATIO PRIMA.

què eò devotiùs & religiosius, quod intra quadrienni
spacium, harum Regionum terræ, se Binis ejusmodi He-
roibus, cœlestem tuam Doctrinam, in incorrupta Au-
gustanæ confessionis religione & pia Christianæ concor-
diæ formula, comprehensam amplectentibus, ornatas
esse senserunt, & magnopere se lætatas esse memine-
runt:

Vno quidem DOMINO CHRISTIANO II.
Creandis Imperatoribus Septemviro serenissimo, Burg-
gravio Magdeburgensi &c. in Paternum & Avitum Im-
perium evecto: Altero, DOMINO IOHANNE
GEORGIO, Duce Saxonæ, &c. Fratrem Electoris Se-
renissimi, Germano, ad episcopatus Martisburgensis Ad-
ministrationem postulato, ac superiori anno requisito &
solenniter in thronum collocato.

Horum nomine, Sancte & sempiternæ Deus, meri-
tò laudibus efferimus immensam tuam misericordiam,
& toto pectore gratias, propter utriusq; præclarissimæ
pietatis & virtutis excellentis specimina, atq; opera in
ipso gubernationis limine atq; introitu laudabiliter edi-
ta, agimus. Nam, ut Electoris serenissimi pia & pri-
ma fuit cura, quomodo veræ & incorruptæ Fidei & con-
fessionis Augustanæ juramento, veluti vinculo religioso,
subditos omnium ordinum, in gloriam Nominis tui &
ipsorum propriam salutem, obstringeret, id quod verè
fuit opus pietatis tuæ: Ita proxima fuit celsitudinis ejus
illustrissimæ, quomodo in Academijs, quæ Ecclesiæ, po-
liticæ, & Reipublicæ fulcra & ornamenta sunt, doctrina-
rum Studia florere, & disciplina fermè collapsa & pro-
trita, rursus instaurata erigeretur, atque imprimis stu-
B diosa

O R A T I O P R I M A .

diosæ juventutis egestas, quæ ingenia optima, in medio studiorum cursu, ut plurimum, cum Ecclesiæ & Reipublicæ detrimento non exiguo remoratur, non tantum largitionibus & contributionibus annuis, sed & donationibus & legatis, quocunq; tempore & occasione oblata, sublevaretur:

Nec hæc pietatis, lux accensa, harum tantum Regionum incolis, sed & latè diffusa exteris etiam effulsit, præsertim miseris exulibus ab Idolomania & sævitia pontificia, domo, focus, fundis, & patria ob cœlestis veritatis fidem & constantiam pulsis, quos cum conjugibus & liberis solum vertere, & incerta sede vagari coactos serenissima ejus celsitudo, non tantum domicilij loco in Regionibus suis dato, benignissimè excepit, sed & civitate & immunitatibus donatos, munificè fovit & recreavit. Hæc solius Spiritus sancti esse instituta, & opera, nemo est omnium, qui, quæ Spiritus Dei sunt, intelligit, non cognoscat.

Sicuti & illa excelsi animi, in illustrissimo Principe, Domino I O H A N N E G E O R G I O, cujus celsitudo mota exemplis & peregrinationibus laudatissimorum Majorum, cupiditate accensa videndi mores, & urbes multarum Regionum, non tantum magna industria & laude, in Adolescentiæ suæ annis peregrinas adiit terras, nihil quicquam verita, difficultates itinerum, molestias tempestatum aut periculorum incursum, sed & in hac peregrinatione longinqua, iter illud celsitudinis suæ illustrissimæ, Deo cursum ejus dirigente & gubernante, ita confecit, ut ubiq; venenata impiorum dogmata, & falsorum cultuum contagia, declinarit, mentemq; piam refer-
varit.

O R A T I O P R I M A.

varit integram & illæfam, & salvo & incolumi, feliciq̃ue in patriam reditu, Deo duce, reportarit. Quod & ipsum non nisi Spiritus divini operationi tribui potest.

Cuius quidem singulari motui, & hoc meritò adscribitur, quod Celsitudo eius Heroica, animo non hæsitante, in invocatione pia, & ardenti DEI optimi maximi, humeros suos submittere, oneri gubernationis quidem splendidæ, sed difficilis tamen, voluit, idq̃; potissimum, ut in illa DEO supremo, honos & cultus præstaretur, & non tantùm pacis & tranquillitatis commodis, defensione & patrocínio iusticiæ: sed multò magis doctrinæ cœlesti, confessione, & propagatione, atq̃; ita cum gloria NOMINIS divini, communi Hominum saluti confuleretur.

Quare de tantis bonis, patriæ nostræ iam datis, ne ingrati videamur, & indigni de dandis & adhuc expectandis, reddamur, Ô misericors DEVS, bonitati tuæ immensæ non modò gratias, quas possumus maximas, nos debere fatemur, & humilimè agimus pro superiorum temporum Gubernatoribus pientissimis & laudatissimis, quorum insignes eximiæ pietatis, excellentis sapientiæ, & heroicarum virtutum fructus, in commodum & salutem nostram adhuc cedere, atq̃; eximiè redundare sentimus: Sed etiam pro his Illustrissimis Heroibus nostris, SERENISSIMO ELECTORE SAXONIÆ & Burggravio Magdeburgens. &c. Domino CHRISTIANO II. & postulato Episcopatus Martisburgensis Administratore, Domino IOHANNE GEORGIO Duce Saxonix, &c. Dominis nostris clementissimis, distinctis

O R A T I O P R I M A .

quidem gubernationibus, sed animis, voluntatibus, pe-
 ctoribus, consilijs, & studijs Fraternalis coniunctissime
 imperantibus, grates summæ tuæ benignitati dicimus,
 eamq; quantopere possumus, præconiorum laudibus
 extollimus, quod non tantum his columnis, fulcis & fu-
 stentis, imbecillem Ecclesiæ & periclitantem politiæ
 statum, undiq; ruinam minitantem: sed & in spem erigis
 & solaris nos miseros, fecibus mundi inhærentes, & cum
 extremis Satanæ & hominum impiorum furoribus con-
 flictantes; te porrò nobis præsentem & propitium adfu-
 turum.

Itaq; & intimo corde, suppliciq; voce, abyssum mi-
 sericordiæ tuæ, ó suprême D E V S, obsecramus, ut non
 tantum ea, quæ in hisce divinis duobus Heroibus, Ele-
 ctore Saxoniae, & postulato Administratore: Sed & in
 Fratrem Illustrissimo Principe, Domino A V G V S T O, Sa-
 xoniae Duce &c. doctrinæ pietatis, sapientiæ, & virtu-
 tum studijs, summa industria & laude in futuram Eccle-
 siæ & politiæ frugem, operam navanti, coepisti operari,
 illa in ijs confirmes, confirmata augeas, aucta stabilias, &
 suppeditatis consilijs salutaribus, & felicissimo omnium
 deliberationum, actionum, & inceptorum successu, ad
 gloriam Maiestatis tuæ, & Horum Regionum & totius
 orbis Christiani salutem dirigas.

Indue eos Fortitudine tua, & multiplica in eis vir-
 tutem tuam, & reprime furorem Satanæ incitatum, non
 tantum contra veritatem & Ecclesiam tuam, sed & con-
 tra corpora & vitam eorum, & propulsa omnem vim &
 iniuriam hostilem, ut tuo beneficiò tranquilla, & placida
 guber-

ORATIO PRIMA.

gubernatione utantur, diu multumq; incolumes & salvi
floreant, ac nos miseri subditi, per tuam gratiam, sub il-
lorum tutela & patrocinio, pace & quiete in vitæ piæ &
honestæ studijs & exercitijs sanctis, tuam gloriam cele-
brantibus, & tuæ Maiestatis laudi inservientibus, potia-
mur & diu fruamur, per Dominum ac Salvatorem no-
strum IESVM CHRISTVM, qui tecum in unitate Spi-
ritus sancti, vivit & regnat, Deus benedictus in sæcula
sæculorum, Amen.

Hac gratiarum actione, cum voto pio præmissa, gra-
tia & pace Electoris Saxoniae Serenissimi, ad Celsitudi-
nem Illustrissimi Principis Domini IOHANNIS GE-
ORGI, Ducis Saxoniae, & postulati Administratoris
Martisburgensis, Domini nostri clementissimi, oratio-
nem converto, quam pro clementia sua laudatissima, il-
lam benignissimè accepturam confido, & subiectissimo
animo & obsequio peto.

Cum Illustrissime Princeps, Heros Fortissime &
Domine clementissime, administratio Episcopatus Mar-
tisburgensis, verè sit munus non tam Paterna & Avita
cura, virtute, & pietate partum, quàm divinitus è coelo
delatum, Principe magnanimo perdignum, constans non
tantùm Tractu Territorij ampli, Æde splendida, Sede il-
lustri, oppidis bene extructis, Agris excultis & foecun-
dis, fluminibus & Sylvis amœnis, atq; inprimis prælustri
Nobilium & amplissimorum Doctorem collegio, alio-
rumq; Hominum certis ordinibus & gradibus distincto-
rum multitudine, Legibus honestis & salutaribus affo-
ciata, inter quos non tantùm pax, tranquillitas & amici-
tia co-

O R A T I O P R I M A .

tia colitur & servatur, sed multò magis, & ex illa, Ecclesia Deo excerpta colligitur, quæ de religione & veris cultibus piè edocta, ipsum & eius præsentiam, cum omnibus beneficijs, Domini nostri IESV CHRISTI rectè cognoscit & verè colit, atque etiam in omnibus vitæ periculis, difficultatibus, & ærumnis, in unius & eiusdem sanctæ confessionis Fide, invocationem exercet:

Meritò itaq; pro tanto, & tam illustri munere gratias, quas possumus, bonitati divinæ agimus, eamq; ex animo toto celebramus, quod insigni sapientiæ suæ consilio, illustrissimam eius Celsitudinem in ætate florente, ad hanc eximiam Dominatus dignitatem evehere, illamq; Serenissimo Electori Saxoniam, &c. sanguinis Excelsi propinquitate, & iure Fraternali unitam etiam hac splendida Administratione, Amplissimæ, Celsitudinis illius serenissimæ, Gubernationi, quasi novo Fœdere consociare, & communicatione consiliorum, curarum & officiorum, pietatis in Deum, ad commune bonum & salutem publicam harum & aliarum Regionum; rebus præsertim hisce temporibus, valde ingravescentibus, sublevare & extollere voluerit.

Nam hac voluntate benignissima Dei sapientissimi, salutarem Fraternali amoris coniunctionem procreari, edocet Spiritus sancti elogium, in Psalmo perhibente, Bonum esse Fratres in unum habitare. Atq; ex hoc eius elogio constat singulare quoddam gaudium, harum & aliarum Regionum incolas, percepisse, animo reputantes arctissimam verèq; Fraternali amoris coniunctionem, in excellentissimis duobus Heroibus, & Septemviris Saxoniam,

niæ,

ORATIO PRIMA.

niæ, Domino MAURICIO & Domino AVGVSTO,
Beatæ & felicissimæ memoriæ, quondam Serenissimi
Domini Electoris & Illustrissimi Domini Administrato-
ris, Patruo Magno, & Avo, nunquam fatis laudato.

Qui ut Fratres Germani, ex intima pectoris affe-
ctione, ita se invicem complexi sunt, ut maior Annis, æ-
tate minorem non modò diligeret, sed & verè amaret:
Minor verò maiorem veneratione & cultu, ut alterum
parentem prosequeretur. Hinc una in illis mens, una
voluntas, & unica consiliorum sententia, non tantùm in
rebus Politicis, sed & in Ecclesiasticis. Sicuti utriusque
divini Herois eximia facta, non modò apud Martisbur-
genses, ut suo loco dicetur, sed inprimis in toto Imperio
Romano edita, pulcerrimè testantur. Ac tantorum He-
roum mutuam amorem, fuisse hisce Regionibus verè
murum fortissimum, quam diu clementiæ divinæ visum
fuit, eos simul vivere, nemo facile erit, qui meminisse
non poterit.

Ac de hac Regionum nostrarum felicitate, cum non
tantùm sperare nos jubeat, utriusq; Gubernationis con-
iunctio, divinitus unita: sed & de illa fiduciam quandam
nobis promittere videatur, Fraternali Heroum nostrorum
amoris, & singularis pietatis affectio, ut felix guberna-
tionum successus, quàm diutissimè prospere vigeat, ac
constans & diuturna vitæ Heroum nostrorum incolumi-
tas & prosperitas, multis sæculis in laudem gloriæ Dei,
cum timore & pietate Dei postulat iustitia & æquitas, ut
ardentibus votis & intimis precibus assiduè misericordi-
am Dei imploremus, ac eius opem præsentissimam illis
esse semper deprecemur. Ac

ORATIO PRIMA.

Ac quia immensa Dei bonitas, non tantum Fraternæ benevolentia & caritatis amore, gubernationum fœdera conciliat, sed & eadem singulari consilio suo, divino sacri coniugii vinculo copulat & unit, atq; etiam imprimis Regiminum onera, quæ ut plurimum in postremis hisce temporibus graviora, & molestiarum atq; curarum pleniora esse solent, leniora & tolerabiliora efficit, suavissima legitimi Tori coniunctione, & delectabili fœdere, quis iam non intelligit Almam Dei benignissimi gratiam, summa clementia Illustrissimum Principem Dominum IOHANNEM GEORGIVM, Ducem Saxoniae &c. Administratorem Episcopatus Martisburgensis postulatum &c. Dominum nostrum clementissimum, respexisse: dum voluit Celsitudinem eius illustrissimam, non solam onus gubernationis designatæ, absque exoptata vitæ consorte adire & sustinere, sed ex provida paterni amoris & benevolentia cura, & summa voluntatis propensione, longe antè ad explendum ardens pectoris Heroici desiderium, de laudabili & pulcherrima vitæ focia ei providit atq; prospexit.

Nam maturato consilio permovit Serenissimi Electoris Saxoniae & Burggravij Magdeburgensis &c. & Illustrissimæ Viduæ Electoralis, Dominae Matris, mentem & voluntatem, ut re piè & præclare deliberata, illi benevolentissimo suo consensu & singulari affectione Illustrissimi & pietissimi Principis ac Domini FRIDERICI Ducis VVirtenbergensis & TECKII, Comitæ montis Beligardi & Domini in Heidenshayn &c. Filiam virginem Illustrissimæ pietatis, castitatis, & pulchritudinis laude

ORATIO PRIMA.

laude præstantissimam Dominam SIBYLLAM ELISABETHAM solenni sacri connubij foedere Nuptui traderent cum eximia spe futuræ utriusq; Domus Illustrissimæ, Saxonicæ & VVirtenbergicæ benedictionis & incrementi divini.

Sic igitur sapientissimo consilio, solennes Nuptiæ, dignitatis eximiæ, & gaudij exultantis plenæ, divinitus paratæ & celebratæ sunt Illustrissimo Principi Saxonicæ Domino IOHANNI GEORGIO cum Illustrissima Domina SIBYLLA ELISABETHA VVirtenbergica, Deo, pectora illorum Spiritus sancti Numine illustrata, iungente & arctissimè copulante, perinde ac vota pia cum harum, tum aliarum Regionum, unanimi consensu & devoto pectore, effusa, per preces intimas nos solantur, quas ratas & efficaces esse, certò credimus, speramus & adhuc oramus.

Abeant igitur & pudore confundantur prohibentes matrimonia inire legitima, illustribus personis, cum certum sit ex spiritibus impostoribus, & doctrinis Dæmoniorum, eos esse, falso asserentes, Deum coniugij autorem, solitariam hominis vitam probasse, qui licet unum quidem creavit, solum tamen vitam agere non permisit, sed vitæ sociam ei coniunxit, atq; ut nec unius & solius cultum probavit, sic nec solius dominium vnquam expetivit.

Non dubitat D. Augustinus affirmare, Hominem esse charam & amicam Dei possessionem, propter quem firmatum est cœlum, extensum est mare, fundata terra, propter quem Sol oritur & occidit, Luna crescit & deficit, quin propter quem Filius Dei humanam naturam assumpsit,

C

sumpsit,

O R A T I O P R I M A .

sumpsit, opprobria & flagella sustinuit & crucem pertulit. Qui igitur à coniugio eximunt & excludunt Heroes & Heroinas, non tantum generosissimas & illustrissimas personas in genere humano, à summis & maximis Dei beneficiis, sed & prorsus ab ipsius Dei amore eximere, & tollere videntur, id quod adeò horrendum est, ut nihil horribilius. Pereant igitur figmenta Pontificum impia, & certò confidamus non modò cultum Deo opt. maximo gratum à nobis exhibitum esse, pro Nuptiis Illustrissimi Principis ac Domini nostri clementissimi deprecantibus, sed & de iisdem ex animo gaudentibus & lætantibus.

Quare ô æterne immensæ bonitatis & misericordiæ Deus, ut pro solennibus Nuptijs eximia tua pietate Illustrissimis Principibus hisce nostris conciliatis, gratias quas debuimus, & quantas potuimus, egimus maximas: Ita pro iisdem debitæ subiectionis reverentia, ex intimo pectoris nostri cultu agimus, & habemus, ardentissimis precibus obsecrantes, te sanctum & omnipotentem Deum, ut pro summa clementiæ & bonitatis tuæ abundantia, hoc feliciter in pace & caritate initum & singulari tua gratia completum in læticia coniugium, Illustrissimis Principibus tua benedictione secundes, illud prosperè & felicissimè, in longitudine dierum, in diuturnitate vitæ, in sanitatis & valetudinis firmitate constantissima, cum salutari totius Regionis prosperitate evenire, & multos in annos prorogari facias, quo cum gloria Maiestatis tuæ, cum singulari Stemmatis & Nominis Septemviralis & Principalis incremento, cum utriusq; Domus
& Du-

ORATIO PRIMA.

& Ducatus Saxonici & VVirtenbergici honore & laude,
cum propinquorum, cognatorum, & Amicorum omni-
um gaudio ac etiam insigni cum harum & aliarum Re-
gionum solatio, Illustrissimæ illæ personæ recens Nuptæ
tuo singulari Numine unitæ, suavissimè simul vivere, &
beatè cohabitare queant. Id quod tu faxis & perficias, ô
sancta & beata Trinitas, & in æterna sæculorum se-
cula, benedicta unitas, Pater, Filius, & Spiri-
tus sanctus, cuius est omnis laus, honos,
gloria & Maiestas. Amen.





Oratio Secunda.

IN NOMINE ÆTERNI ET
OMNIPOTENTIS DEI PATRIS,
FILII, ET SPIRITVS SANCTI.



ILLustrissimo Principi ac
Domino, Dn. IOHANNI GEOR-
GIO, Duci Saxoniae, Landgrauio
Duringiae, Marchioni Misniae, postu-
lato Episcopatus Martisburgensis
Administratori &c. Domino nostro
clementissimo, divinitus delatam, &
collatam unanimi voluntate & consentientibus suffra-
gijs eorum, quorum legitima est, ex autoritate Cæsarea
Electio, Gubernationem, eo, quo par est & decet, obser-
vantiae, obsequij & pietatis studio, non tantum superio-
ribus Septimanis, tanquam de sublimi Throno gratulati
sumus, sub lectionis nostrae initium, sed & de sacro &
laudatissimo Toro, quo summa DEI supremi benignitas,
Celsitudinem eius Illustrissimam, cum Illustrissima Prin-
cipe ac Domina SIBYLLA ELISABETHA VVirten-
bergica, vitae socia, & dignitatis consorte exoptata or-
navit & amplificavit, ex animo lætati & obedientia debi-
ta, faustissima quæq; precati sumus.

Nunc cum Celsitudo eius Illustrissima, & felicita-
tem tantam, quantam in rebus humanis per DEVM spe-
rare licet, Διοικήσει illi insigni promittere, & Decus excel-
lens & ornamentum præclarissimum adferre videatur,
æquum

ORATIO SECUNDA.

æquum est, non tantum Principi adeò Heroico, de Gubernatione ista divinitus delata, ut gratulemur, sed magis etiam decorum videtur, ut Regimini & Gubernationi isti, de tanto & tam excelso Principe, tam sublimi genere & alto sanguine nato, gratemur & de læticia nostra testemur. Idq; eò æquius, quod eximia & illustria beneficia eidem gubernationi cum toto territorio amplo, exhibita sint, superioribus temporibus, ab eiusdem Illustrissimi Principis, laudatissimis Maioribus, Divinis Heroibus, Illustrissimæ Domus Saxonicæ, Septemviris præstantissimis, Domino MAURICIO, & Domino AVGVSTO, quondam Electoribus, felicissimæ & beatæ memoriæ.

Ab his Fortissimis Heroibus, cum tum temporis præclara merita, vereque divina beneficia collata sint, Ecclesiæ Episcopatus Martisburgensis, ex Pontificia idolomania & superstitione emergenti, quæ insigniter ornata, aucta & propagata est, ad hoc usq; tempus, studijs pietatis & cultuum verorum: æquissimum est, rerum memorabilium ab illis gestarum mentionem fieri, ne memoria magnorum beneficiorum, cum illustrissimo tantorum Heroum Nomine, tam citò oblivioni tradatur. Quanta igitur pietatis affectione, & studij cura, Episcopatum Martisburgensem primum decorare & evere contenderit illustrissimus, nec unquam satis laudatus Elector Saxonicæ, Dn. AVGVSTVS, in annis juvenilis ætatis, antequam Septemviralis dignitatis honorem & decus consecutus est, brevi commemoratione primum pertexam.

O R A T I O S E C V N D A.

Deinde cùm Illustrissima eius Celsitudo, in ætate juvenili initam Martisburgensem gubernationem non diutius annis quatuor sustinisset, ac peractis annis quatuor, sua sponte ei nuncium remisisset, ac tum à Carolo V. Imperatore Romano, sollicitantibus quibusdam Canonicis, Διοικησὶς Martisburgensi, obtrusus esset, Michaël Hellingus, suffraganeus Moguntinus, qui libri cuiusdã Pontificij, cui nomen fuit, INTERIM, cum alijs quibusdam autor & fabricator fuerat, & ex illo non tantùm Martisburgensem, sed & alias Ecclesias in Electoratu Saxonix turbabat: paucis commemorandum erit, quàm indefesso pietatis & veritatis studio, Fortissimus Heros Elect. MAVRITIVS, operam dederit, ne quid detrimenti repurgatæ religionis veritas caperet, & expulso rursus Hellingo cœlestis doctrinæ & cultuum divinorum puritas, cum Ecclesiarum tranquillitate conservaretur.

Hæc historica, ut recitatione non sunt indigna, ita utriusq; Herois Fortissimi in Deum pietatem, pulcherrimè commendant & tantorum Principum in Ecclesiam Martisburgensem piam sollicitudinè & curam illustrent. Misericordi & omnipotenti DEO sit laus & gloria quàm maxima, qui non tantùm adeò insignem pietatis affectionem in mentibus illustrissimorum Principum, quos jam ad cœlestis gaudij gloriam transtulit, accendit: sed & constanter auxit, & ad posteritatem Illustrissimorum Principum & Dominorum nostrorum propagavit.

Illustrissimus Princeps AVGVSTVS, Dux Saxonix, divina favente gratia, Episcopatus Martisburgensis gubernationem agens Annum ætatis juvenilis XVIII. suscepit ad

O R A T I O S E C V N D A .

pit administrandam, defuncto priori Episcopo, Anno M. D. XLIV. Eius Celsitudo illustrissima, quod multum est, à teneris in cœlestis doctrinæ puritate & cultuū divinorum sinceritate, à Parentibus pijs, repurgatæ religionis veritati adhærentibus, Illustrissimo & pientissimo Principe Patre, Dn. HENRICO, Duce Saxoniae, & Illustriss^a Principe Matre Domina CATHARINA, Duce Megalopolensi, religiosè edoctus, cum ad doctrinam & cultus pios contra Pontificiam Idolomaniam & superstitionem, assuefactus esset, nihil cum alienis à pietate commune habere potuit aut voluit. Itaq; operam, quantam potuit, in vitandis impijs & superstitiosis ritibus, atq; in ijs tollendis dedit.

In veteri Testamento gravi consilio Deum ad Ecclesiae suæ collectionem, ordinasse multos & varios ritus, ac ceremonias, ex Moise manifestum est. Nam Exo. 23. & Levit. 16. eum peculiari mandato sanxisse Israëlitis, ut non tantum quotannis ter convenirent ad dies festos celebrandos, Paschatis, Pentecostes, & festi Tabernaculorum tempore, legimus, sed & severè prohibuisse cognoscimus, ne vacui ad eiusmodi festorum solennitatem concurrerent, sed peculiaria munera, & certa dona offerrent, ne beneficiorum Dei, quæ ipsis multa & varia præstiterat, obliviscerentur: Sed eidem Deo pro sapientissimo suo consilio, visum fuit in novo Testamento Ecclesiae suæ congregationem ita disponere & ordinare, ut illa potissimum doctrinâ Evangelij ab ipso Filio Dei ex sinu æterni Patris prolata, & Sacramentis ab ipso institutis, colligeretur, reservatis quidem scriptis & dogmatibus Moisis &

ORATIO SECUNDA.

sis & Prophetarum, sed abrogatis ceremonijs & cultibus Mosaicis, & abiectis imprimis ritibus & sanctionibus Pharisaicis. Itaque pro miranda sua voluntate sancijt in Novo Testamento ceremonias numero paucas, quas cum Doctrina ab ipso Filio Dei tradita, & Sacramentis ab ipso mandatis, in usu esse, nec temerè intermitteri aut negligi unquam voluit.

Etsi autem Dei benignissima voluntas, pro singulari suo consilio, abstulit jugum Mosaicum veteris Testamenti, & molem ceremoniarum & rituum Mosaicorum contraxit in exiguum, Novi Testamenti numerum: Tamen in confesso est, adeò in Ecclesijs illius excrevisse ceremonias & ritus, non tantùm Moisis, sed & Phariseorum & aliarum traditionum humanarum cumulum, ut non tantùm doctrinæ pietatis, ab ipso Filio Dei patefactæ, & ab ipsis Apostolis conscriptæ cum usu Sacramentorum necessariae, posthabitæ & intermissæ sint, sed & neglectæ ignorentur & prorsus contraria dogmata illarum loco spargantur.

Ac quamvis negari non potest, solitam esse Antiquitatem piam dicere: Lac & nutrimentum esse ad pietatem ritus & ceremonias: Tamen hoc ipsum accipi & intelligi voluit de ijs tantùm, quæ abessent ab omni idololatria & blasphemia, atq; etiam omni superstitione carerent. Nam quod idololatricum & blasphemum est, cum non tantùm omnem in Deum pietatem deleat & extinguat, qui potest ulla aliqua specie, pietati inservire? cum pietas solius Dei sit: Idololatria verò & blasphemia, non nisi ipsum *κακοδαίμονα* autorem habeat, qui &
ipse

ORATIO SECUNDA.

ipse superstitione, id est, metu vano, & terrore inani, mentes replet humanas, ubi nullus Dei timor verus esse potest. Quare religiosa antiquitas, ut non intellexit ea, quæ cum superstitione omnem impietatem inducunt, ita de ceremonijs & ritibus sensit & pronunciavit: Cere- monias esse eò simpliciores, quò sunt puriores: Atque de his ut verissimum est antiquitatis iudicium, ita post reformatos nostrarum Ecclesiarum ritus, à falsa & cor- rupta Pontificiorum doctrina, & superstitiosis ritibus, omnes pij rectè sentientes, persuasum habuerunt.

Cum itaque in gubernatione, quam susceperat ad- ministrandam Illustrissimus Princeps Dux Saxoniæ, Do- minus A V G V S T V S, non posset pro conscientia suæ integritate ferre ritus longa temporis consuetudine à Pontificijs introductos, eosque nec tum, cum Domina- tum teneret, mutatos, Inter alios imprimis magnopere offensus est, ritu abominabili pedum lavationis in tem- plo, publicè à Canonicis observato, & *ex κακοζηλία* & prava imitatione, desumpto, ab opere salutari Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, Discipulorum suorum pe- des in ultima cœna ante Passionis suæ mortem lavantis. Hoc factum, ut verè est tremendi mysterij, arcanae sapi- entia, & mirandi decreti, ita & summi beneficij, ut ver- ba ipsius Filij Dei Iohan. 13. declarant

Verba autem sunt illa: Dominus Iesus sciens, quod à Deo exiisset, & ad Deum iret, surgit à cœna & vesti- menta ponit, & accipiens linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim & coepit lavare pedes Discipulo- rum, & tergere linteo, quo erat præcinctus. Divum Apo- stolum Petrum audimus obstupescere, dum videt Domi-

D

NUM

ORATIO SECUNDA.

num ante pedes discipulorum procumbentem, & hoc fervile munus, vix famulo dignum, subeuntem, ideò cum insigni admiratione exclamat: Domine tu mihi pedes laves? Et: Non lavabis mihi pedes in æternum. Hoc cum ab homine, qui se longè vilius, hoc munere iudicabat, factum sit, quid ab Angelis sanctis, cœlestibus spiritibus factum, existimabimus, ut viderunt excelsæ Majestatis Dominum, tam vile & abiectum ministerium obijisse? an non putabimus & illos contremuisse & exhoruisse de tanta huius operis indignitate? Ergo cum hoc opus, adeò stupore & trepidatione, Angelis sanctis dignum, non facilè in imitationem est trahendum.

Apud Nazianzenum legimus scriptum: τὸ καλὸν ἐκ ἔστι καλὸν, ὅταν μὴ καλῶς γῆται, Bonum non est Bonum, nisi bene administratur. cum autem intelligentia mentis humanæ, illud nec capere nec intelligere queat, ut omnia illa, quæ sunt arcani consilij & decreti divini, nunquam etiam humani ingenij captus & ratio, illud rectè exequi & administrare poterit. Ac verè tale esse opus illud, quod omnem mentis humanæ captum superet, non modò testantur temeraria Petri verba, dicentis: Non lavabis pedes meos in æternum; sed multò magis verba ipsius Christi, quæ Petro, mysteria Dei adhuc ignota & obscura esse, edocent, cum ait: Quæ ego facio, tu nunc nescis, scies verò postea.

Quibus quidem verbis significatur, mysteria Dei latere carnis rationem, & intimam eius sapientiã, eaq; tantùm cognoscenda esse, ex decreto sapientiæ Dei revelatæ, ex qua sola sublimia & abscondita unigeniti Dei Filij
benefi-

O R A T I O S E C V N D A .

beneficia perdiscenda erunt. Itaque cum porrò hoc responsum detur Petro, istis verbis : Nisi te laverò, non habes partem mecum : palàm annuntiatur solummodo precioso sanguine ipsius Filij, effuso pro nobis, abluì omnia peccata in remissionem omnium eorum, qui vitæ æternæ hæreditatem sunt consecuturi. Quare necesse est eos, qui expetunt peccata sibi remitti, & se partem cum Christo habere, sanguine eius lavari, ne pereant in æternum.

Quia igitur lavatione pedum, res agitur omnium sacratissima, quod tam divinum beneficium credentibus in Filium Dei, confertur, ut peccata eorum sanguine illius abluantur, profectò res tanti momenti, tantiq; precij, non temere pertrahenda est, non modò in usus alios, & abusus profanos, sed multò minus in Idololatricos & blasphemos. Nam certum est, nullum eorum, qui exemplo Christi alterius pedes lavare conatur, ne minimi peccati labem ullius abstergere aut abluere posse, quòd hoc opus absterfionis peccatorum, solius sanguinis Christi sit, illiq; soli proprium datum ab æterno Patre, nec ulli hominum, quin nec Angelis concessum.

Cum autem inter alia, Nazianzenus prohibeat fieri ludibria, cùm sacris scripturis, dicendo : Ludant alij cum dogmatibus, nobis ludere cum ijs tutum non est; profectò non modò indignum, sed & detestandum est, ludum iocumq; in re tanti momenti agere, in qua illuditur Filio Dei, qui splendor gloriæ Patris, factus Pontifex magnus, coelos penetravit, & una oblatione effecit perfectos in æternum. Quamobrem gravissimæ fuerunt

ORATIO SECUNDA.

causæ, quæ permoverunt Divinum illum Heroëm, ne consentiret in Idololatricum & blasphemum istum cultum, quem & toto pectore averfatus est, & non nisi abolitum & ex Ecclesia sublatum voluit. Hoc quomodo factum, postea dicetur, ubi prius cognitum, quo prætextu, lavatio pedum, exemplo Christi Domini in profanum & horrendum abusum, apud Scholasticos, erroris excusationem quandam invenit & obtinuit.

Postquam Dominus noster Iesus Christus admonuit Petrum Apostolum, de ignorantia suæ voluntatis & decreti divini, qua ipsum latebat mysterium redemptionis & liberationis generis humani, dicendo: quod ego facio, tu nescis nunc; edocuit eum tum de consilio æterni Patris, quo redimendum sit genus humanum, inquiens; Si non laverò te, non habebis partem mecum. His verbis significat: Nisi ego satisfecero pro tuis & aliorum peccatis, & laverò te & alios ab omnibus peccatorum fordibus, nulla vobis erit pars mecum in vita æterna. Hæc verba, licet manifestum & perspicuum important sensum, nullū à peccatis suis, nisi sanguine & merito ipsius Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi liberari, Tamen vulgus Scholasticorum pravo intellectu, sicut & ignavum Monachorum pecus, illa eò detorta acceperunt tantum, de prima hominis iustificatione vel remissione peccati Originalis, quod palàm falsum & impium est, cùm Christi sanguis non tantum peccatum originis expiet: sed totum hominem ab omnibus suis peccatis emundet, I. Iohan. I.

Deinde cùm Dominus informet eundem Petrum:
quod

O R A T I O S E C V N D A.

quod iam iustificatis & sanguine suo mundatis ab omnibus peccatis, opus tamen sit quotidiana peccatorum remissione, seu perpetua peccati indulgentia & venia, in quotidiana pœnitentia, cum ait: Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet: Sed mundus est totus: Hoc idem indoctorum chaos, non dubitavit attribuere proprijs hominum meritis, & proprijs cuiusvis virtutibus, quasi quod reliquum in homine manet peccati, eluendum & purgandum sit suo cuiuslibet merito atq; opere: Sic & illud detorquetur in sensum alienum & perversum, ac rursus quod solius sanguinis Christi est, meritum proprium, imputatum meritis & operibus humanis adscribitur. Hinc impia & blasphema opinio conficta est lavationi pedum, contra mentem & voluntatem Domini & Salvatoris nostri, atq; ita ritus ille perperam receptus, Idololatricum peperit cultum, animisq; hominum inhæsit, quibus difficulter postea progressu temporis eximi potuit.

Cum igitur de huiusmodi errorum horribilium tenebris, & tam Idololatrici cultus ac ritus impietate, Illustrissimus Princeps & Heros Saxoniae, probè & piè edoctus esset, non potuit ferre, illorū falsitate se implicari. Et quia inveterati eiusmodi pravorum dogmatum errores, ubi semel in animis hominum radices egerunt profundas, difficulter eradicari atq; evelli possunt, nec precibus nec monitis optimi illius Principis ritus iste Idololaticus, tolli aut aboleri potuit.

Quare cum admonitiones Celsitudinis illius illustrissimæ, prorsus irritæ forent, nec etiam precibus eius locus ullus relinqueretur, ministri illius graviter dolentes,

O R A T I O S E C V N D A .

tes, affectionem pietatis in tam pio Principe magnopere offendi & turbari, consilium inierunt, quomodo huic malo mederentur, eique hanc excogitarunt rationem, Pulverem Tormentarium (res mira) chartis convolutis impletum, desuper ferreis filis demiserunt, ad loca templi inferiora, ubi pedum lavatio instituebatur. Hunc pulverem clam igni accensum, & ex alto delapsum, ad inferiora scabella ferri & ruere fecerunt: Ibi dictum factum; statim inanis incendij metus, lavationem expectantes dispulit, ut dispersi fuga dilaberentur, & ita ludibrium, quod Domino & Salvatori parabatur, ipsis fiebat.

Ex quo intelligitur, quod quamvis Illustrissimus Heros, in politicis potissimum gubernationem administrandam in Episcopatu suscepisset; hoc tamen semper & constanter summis viribus egerit, ut coelestis doctrinae veritati prodesset, cultus pios iuvaret, mentibus subditorum instillaret, & Ecclesiâ Dei propagatâ, multorum saluti consulere. Verè itaque eximia pietate pectus instructum gessit Illustrissimus Princeps A V G V S T V S, Dux Saxoniae &c. à teneris, qui ut insignia cultus divini & excellentis virtutis primordia in Episcopatu Martisburgensi edidit, statim gubernationem eius à se initam Anno quarto exacto, sua sponte resignavit, ornatus & auctus paulò post, per benignitatis Dei gratiam, amplissimis dignitatibus & honoribus, iuxta ipsius promissionem: Honorificantes me glorificabo.

Ex his itaq; ne longius progrediamur, constat non tantum quantum Martisburgicum castrum, sed imprimis Ecclesia eius, & cum illa Nobilis & Amplissimus Canonicorum

O R A T I O S E C V N D A .

nicorum ordo cum universo eius territorio, ab illustrissimo Principe Domino A V G V S T O Duce Saxoniae, &c. postea creandis Imperatoribus Septemviro, ornata & ampliata fit. Cuius animæ beatissimæ iam in cœlum translatae, in conspectu Dei & confessu sanctorum Angelorum & beatorum hominum, est quies & gloria sempiterna.

Iam secundo loco propositum nobis est verba facere, de magnanimo & fortissimo Heroë, Domino MAURICIO Electore Saxoniae, cuius excellens pietas, virtus & robur, non tantum ad jutore Deo, defensionem communi Patriæ præstitit, & doctrinam cœlestem D. Lutheri ministerio instauratam, asseruit, atq; etiam libertatem & salutem publicam vindicavit: sed & perfecit, ut castrum & Ecclesia Martisburgensis in dogmatibus, cultibus ac ritibus emendatis, non parum periclitans, in tranquillum restituta, integra & salva conservaretur. Quod cum ab eo factum sit, haud par & æquum est, tanti Herois memoriam in hac commemoratione prorsus silentio præterire & omninò reticere.

Illustrissimus Princeps A V G V S T V S quamvis in inspectione Ecclesiarum gubernationis Martisburgensis cura & opera, inclyti Principis GEORGII Anhaltini, utebatur, qui in multis doctrinæ Christianæ partibus, & ritibus Canonorum collegia reformarat: Tamen quia plurima adhuc restabant, non prorsus à Pontificiorum doctrina & cultibus diversa, quæ illustrissimæ eius Celsitudini non probabantur, sicuti nec extra coniugium, vita cœlebs, Idem anno statim quarto exacto, gubernationi Mar-

O R A T I O S E C V N D A .

ni Martisburgensi renunciare voluit. Ac licet illo Magistratu abeunte, Episcopalis dignitas, optimo jure attingebat Principem Anhaltinum, cuius pietas & doctrina erat eximia, ut qui illius per annos triginta duos, collegij membrum fuerat: Tamen res eò devenit, ut Canonicis quibusdam sollicitantibus, Imperator Carolus V. in locum vacantem, autoritate Cæsarea substitueret Michaëlem Heldungum, vulgo Sidonium appellatum.

Hic suffraganeus Moguntinus fuerat, & in Comitij Augustæ celebratis, munere docendi in Templo summo, præfectus, apud Imperatorem gratiam singularem inierat, & apud plerosq; Pontificios magnam admirationem meruerat: Idem verò, quia cum Iulio Pflugio & Iohanne Islebio, fabricator fuit libri Interimistici ex dogmatibus Pontificijs compilati, quem Imperator interea, donec in Concilio dogmatum controversiæ per Pontificem recuderentur, usurpari voluit, pro Fidei, inter Protestantes Formula, ideoq; non tantum certo Decreto in Comitij promulgari, sed & severa executione demandari curabatur, pulsus non modò cæteris, totius Sueviæ urbium pijs & sinceris ministris, sed & commotis & turbatis omnibus in Misnia, Saxonia & alijs in locis Ecclesijs, addito insuper mandato obedientiam Concilio, quamprimum illud absolutum esset, præstandam.

Cum itaque ubiq; locorum, hoc Interimistico scripto, & Concilij expectatione motus & turbæ concitarentur, non potuit tunc temporis extra periculum esse Martisburgum, quin potius cum autor illius erronei libelli, ibi resideret, in maiori etiam metu, quàm alia loca ver-

O R A T I O S E C V N D A .

ca versabatur, idq; eò magis, quod Elector Saxoniae subinde à Cæsare urgebatur instinctu & impulsu autoris illius, qui non tantùm Regalia Episcopi acceperat: sed & à Pontifice Romano confirmationem multò ante impetrarat.

Etsi autem rebus ita gestis Princeps Anhaltinus non molestè ferebat, hominem peregrinum & Pontificium adeò evehi & sibi præferri: tamen quia Collegij Senior erat, metusque suberat, ne religionem, utcunq; emendatam corrumperet & majora mala Ecclesiae Christi inferret, Duos tantùm articulos conscriptos ei proposuit, quorum alter, ne quam doctrinae aut rituum in Ecclesijs ad Dioecesin Martisburgensem pertinentibus, mutationem faceret: Alter, ne Sacerdotes maritos loco moveret, & ab officio repelleret. Insuper ut protestationem à se antea factam, de illegitimo processu in postulatione Sidonij servato, de persona, officio, & doctrina eius, cum confessione Ecclesiarum Dioecesis Martisburgensis non congruente repetivit, nec in traditionem possessionis se consentire posse ostendit, Episcopum quidem se à Cæsarea Maestate pro gubernatore & Principe agnoscere & venerari, sed si in doctrina & ritibus Sacramentorum à se restitutis aliquid mutet, nequaquam se ipsi, ut Episcopo parere posse, & velle, constanter affirmavit.

His ita actis post longas ultro citroque habitas colloquutiones Hellingus, ut promisit se nihil in religione hoc tempore in Dioecesi usitata mutare velle, ac clericos maritos non minus ac alios subditos tueri, nec quic-

E

quam

ORATIO SECUNDA.

quam etiam nisi de consensu collegij emendare velle, possessio ei tradita est, quam obtinuit per annos undecim, usq; ad sexagesimum primum. Promissionem autem istam de intermittenda Religionis mutatione Helsingus non nisi simulatè & fraude fecit, ut Episcopatu potiretur, ideoq; non simpliciter, quovis tempore, sed hoc tempore, se non mutare velle promisit, atque etiam, quod sibi facere non licebat, per Imperatorem tamen se urgere posse sperabat. κακῆ ἢ πόρνη κακὸν ἔστιν. Itaque apud Cæsarem cuius gratia confidebat, subinde sollicitando instare non desit, ut quod in comitijs de libro Interimistico decretum & receptum erat, Majestas Cæsarea apud Principes protestantes urgeret in effectum produci.

Etsi autem coram Imperatore, MAURITIVS Elector Saxoniae, corrupto illi & impio libro, constanter contradixerat, ac sibi suisq; subditis hoc erroneo dogmatis genere, parcere petierat, quod non tantum fidem & conscientiam suam & suorum subditorum violaret: sed & fidem ab ipso Cæsare subditis suis datam, abrogaret: Tamen instante Helsingo, subinde ab Imperatore per literas & Caduceatorem Imperij, admonitus est, ne publicum Imperij decretum suscipere deq; faceret, sed Ecclesijs suis, receptam in Comitijs doctrinae Formulam mandaret, ac Imperatori in illa publicanda obsequium debitum praestaret. Eiusmodi Scriptis & diplomatis saepissime molestabatur Elector Saxoniae, impellente Helsingo, cum tamen nulla nec spes nec promissio à MAURITIO Electore facta esset, perinde ac eius rei, non tantum locuples & constans testis est Historia, de rebus Imperij
sub

ORATIO SECVNDA.

sub Carolo V. gestis conscripta, sed & Acta etiam Synodica, ea de re, publicata. Quod licet ita verissime se habeat, nunquam desijt contra Electorem Hellingus, Imperatorem concitare, & famam laudatissimam Herois illius Illustrissimi in suspensionem falsam traducere.

Multis igitur & varijs modis tum Fortissimus Heros, Saxoniae Elector, premebatur, cum non tantum Imperator decretum Imperij de Sphingis libro, sed & Concilium à Pontifice absolutum servandum urgeret; Dimissionem Landgravij Principis, Soceri illius inclementius recusaret: Datam etiam promissionem de Religione in hisce Regionibus non mutanda, prorsus retractaret: Hellingus etiam Episcopatu jam potitus, Cæsarem non tantum magis inflammaret, sed & Religionis mutationem machinaretur, indies ac denique Theologis etiam quibusdam in optimum Principem Electorem, contumeliosa scripta edendi apud Magdeburgenses occasionem præberet. His difficultatibus gravissimis Heros magnanimus non parum angebatur, sed quia Petra fortitudinis, & Fiducia eius erat in DEO, veritatemque coelestis doctrinae, gratiae Cæsaris longè anteferebat, factus est ei Deus adjutor & protector, ac mirificam ei opem & auxilium salutare præstitit.

Nam cum in Comitijis non tantum agerentur deliberationes de Philippo Hispaniarum Rege, Carolo patri substituendo in imperio, & consilia ea, in quæ Moguntinus & Trevirensis Septemviri iam consenserant, secretò communicata essent Electori MAVRITIO, & ab eodem petitum, ne jus successionis in Imperio, legitima Electio-

ORATIO SECVNDA.

ne omnium Septemvirorum prius ad Ferdinandum Regem Germanorum delatum, suo suffragio ad Hispanum transferri pateretur, divinitus tum ex angustijs illis evadendi, via ei monstrata & commodissima oblata est, dum à clero Magdeburgense ad bellum vocaretur, atq; etiam ab ipso Imperio illius Dux deligeretur.

Hanc belli conditionem oblatam, non tam ex civitatis Magdeburgensis odio, quàm ut honestiore prætextu à deliberationibus in Comitijs abesset, eò cupidius arripuit, ut non tantùm ex illo aliud conficeret bellum: sed & FERDINANDO & MAXIMILIANO summæ pietatis, & clementiæ Imperatoribus, maximè gratificaretur, & toti Imperio atq; ad eò universo orbi Christiano, quam plurimum prodesset & commodaret.

Nam ut Magdeburgense bellum, Deo auxiliante, non sine laude confecit, statim aliud magis arduum & sublime, Deo mirificè animum eius Heroicum excitante suscepit, in ipsum Imperatorem conversum, quo non tantùm consilia illa de Philippo substituendo patri Carolo Imperatori confudit, Hispanicam tyrannidem, quam Aula Imperatoris in liberum Germaniæ imperium & eius Principes exercebat, suppressit, sed & Landgravio Principe ex gravi quinquennali captivitate erepto, insigni DEI beneficio, Ecclesias, ministerio D. Lutheri, in pura cœlestis doctrinæ veritate reformatas, cum à promulgato Interimistico Sphingis decreto, tum à Concilio Tridentino & Pontificia Idolomania fortissimè liberavit.

Vt igitur bellum istud non tam ex Heroico animo
quàm

O R A T I O S E C V N D A .

quàm ex pio communis patriæ zelo & libertatis amore, pro defensione salutis publicæ, necessariò fuit susceptum: Ita Deo fortunante feliciter confectum, cum summa ipsius Dei laude & gloria, & immortalis MAVRITII memoria & honore. Nam excusso ex Germania jugo Hispanico, administratio non tantùm iustitiæ liberiores in Imperio cursum obtinuit, adiunctis in confessu Iudicij Camerae, Augustanæ Confessionis assessoribus, & adhibitis Consiliarijs Aulicis Imperatoris, Consiliarijs Germanis: sed & universæ Germaniæ Libertas, antea ferè oppressa & extincta, tum recreata vires resumfit & constans & perpetua pax & tranquillitas inter Imperij status universos refluoruit.

Sic parta divinitus, per Heroëm Illustrissimum MAVRITIVM Electorem Saxoniae, victoria, CAROLVS Imperator non tantùm rebus submissis cessit, & per Ferdinandi Germaniæ, & Maximiliani Boëmiæ Regum intercessionem, cum MAVRITIO Electore & Principibus confœderatis, in conventu Passaviensi transactionem fieri permisit, sed & paulò post, ut sunt Fatales Heroum eventus, MAVRITIO rebus humanis exempto, & ad cœlum translato, idem Imperator suo nomine, per FERDINANDVM Regem Germanorum in Comitij Augustæ Rhetorum indictis, Illustrissimo Principe Electore AVGVSTO, Fratrem Mauritiij, per suos & reliquorum Principum Legatos flagitante & urgente, Augustanæ Confessionis pacem & tranquillitatem publico Imperij Decreto sanciri iussit. Atque ita celeberrima illa, totiq; Imperio salutaris pacificatio, inter Cæsarem, Regem,

O R A T I O S E C V N D A .

Electores, Principes, Ordines ac Status Imperij inita in pace & tranquillitate Augustanæ Confessionis promulgata, hætenus, Deo iuvante, constitit & firma permanfit, cuius pietas & misericordia faxit benignè eam ad huius sæculi finem constare perpetuò.

Quam autem superioribus temporibus fidem & virtutem militarem Imperatoribus Friderico III. & Maximiliano I. præstitit Albertus Heros magnanimus, Saxoniae Dux, Electorum Saxoniae, MAVRITII & AVGVSTI Auuus : eam & Illustrissimi isti Heroës præstiterunt cum pietate Imperatoribus invictis Dn. FERDINANDO, & Dn. MAXIMILIANO II. à quibus non tantum magna eximiae Clementiae illis exhibita est gratia, sed & ampla Ecclesiae Domini nostri IESV CHRISTI beneficentia, cuius pacem & tranquillitatem, non modò Ferdinandus, ne ullo unquam turbaretur tempore, sibi curæ esse permisit : sed & Maximilianus pietatis & iustitiae cultor laudatissimus, semper coluit & auxit. Quorum amplissimam benedictionem, maiestatem & opes, quia placuit Deo opt. Max. conferre in Imperatorem nostrum celsissimum & omnium clementissimum, Dn. RVDOLPHVM, ne Turcarum, Iesuitarum & aliorum seditiosorum impietas, furor & rabies disturberet & evertat, ardentibus votis ab omnipotente Deo precamur.

Sed ad Electorem MAVRITIVM Heroëm ut revertamur, ac cum ijs, quibus Ecclesiae Martisburgensi, eiusq; toti territorio benignissimè & cumulatisimè fecit concludamus, hoc necesse est superioribus ut addamus. Postquam cognovit conatus & machinationes

Hel-

O R A T I O S E C V N D A .

Heldingi Interimistici fabricatoris, apud Imperatorem Carolum, Heroici animi spiritu permotus, impulsus fuit, ut cogitationem susceperit & consilium inierit, quomodo non tantum Martisburgensis Episcopatus, sed & suarum & aliarum Regionum Augustanæ Confessionis Ecclesijs consuleret. Hoc consilium erat non tantum de Episcopo isto excutiendo, sed & de toto castro evertendo: itaq; certos homines misit cum mandatis, qui viderent, quomodo rem aggrederentur, ut vel in una nocte structura castri illius everfa subrueretur.

Hoc inceptum ut Heldingus sensit, se non tantum magno malo suo, sed & subditorum suorum, occasionem præbuisse, ex hortatu & consilio Canonicorum & Nobilium rectè sentientium cautiùs & modestiùs agere coepit, ut sibi & subditis suis in posterum melius consuleret.

Hinc igitur quantus in MAVRITIO Electore pietatis fuerit ardor, apparet, qui non minus indigne tulit, dogmatum Figmentis joculari & ludere, vel monarcham, vel Pontificem, vel etiam quemcunq; præfulem aut clericum. Ideoq; ut ducente & regente Deo, toti Imperio pacem conciliavit, in tuenda cœlestis doctrinæ puritate, & in propaganda & conservanda religionis veritate: Ita & Martisburgum à superstitiosis ac falsis dogmatibus liberum & immune reddidit.

Æterno itaque Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto, qui benignissime tantos Heroas his nostris Terris concessit, sit laus, benedictio & gloria in sæculorum sæcula. Eiusdem misericordiam immensam & infinitam toto pectore

ORATIO SECUNDA.


ctore obsecramus ardentissimè, ut Serenissimo Principi Electori, Dn. CHRISTIANO II. Illustrissimo Principi, Dn. IOHANNI GEORGIO Episcopatus Martisburgensis Postulato, & Illustrissimo Principi Domino AVGVSTO, Ducibus SAXONIAE, FRATRIBUS GERMANIS, & Dominis nostris clementissimis, gratiâ Spiritus sancti sui perpetuò adsit, eosque regat, gubernet & tueatur per omnia
saecula.

F I N I S.






ST
C
E I
D
G
gra
Cu
& Dn
b
B



Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White



o &
ic
ISSI-
II.
: AR-
O M.
fis:
;
O R-
AND-
ti Admi-
s,
m:
morum
uondam
r: piè &
Ecclesie
.
RIO
fes.
.1605.

